

est æquale esse quadrato sinistro $h a c E$, ductis li-
neis $a e$ & $b E$. Totum ergo quadratum $b d c e$, æ-
quale est duobus quadratis $a b f g$, & $a h c E$,
quod erat demonstrandum.

CAPVT SECVNDVM de Circulis.

DEFINITIONES.

Circulus est figura plana, una linea contenta, in
cuius medio punctus est, à quo omnes lineæ re-
ctæ ad circumferentiam exeuntes, sibi inui-
cem sunt æquales.

Circumferentia, est linea continens circumulum.
Centrū, est medius ille punctus in circulo.

Diameter circuli, est linea recta quæ per eius cē-
trum transiens, extremitatesq; suas circunfe-
rentiæ applicans, circumulum in duo media di-
uidit.

Semicirculus est figura plana, diametro cir-
culi & medietate circumferentiæ contenta.

Portio circuli, est figura plana, recta linea &
parte circumferentiæ contenta, semicirculus
aut maior aut minor.

Circulum linea contingere dicitur, quæ cum cir-
culo tangat, in utramq; partem eic-
dem non secat.

Chorda, est recta linea, portionē circuli cōtinēs.
Angulus supra arcum consistere dicitur, qui à
quo